

PRO O E M I V M.



HACTO AB APPARITIONE EIVS STELLAE, de qua libro Superiore egimus, integro quinquennio, Anno videlicet à nato CHRISTO 1577. labente, Mensis Nouembris diem circiter decimum, alia quaedam insolita & à priore longe diuersa Stella, prolixos effundens crines, iuxta occasuram Cæli partem ostendebatur, cuius corpus erat rotundum, lucidum, & albedine quadam subliuida conspicuum. Cauda vero quæ plurimum versus Ortum quasi in oppositas Soli partes protendebatur, rubicundioribus radiis flagrabat, eoque densioribus magisque apparentibus, quo capiti propiores erant; circa extremitatem vero rariore minus lucis & coloris oculis insinuabant. Erat insuper incuruata non nihil ipsa cauda, ita ut conuexitatem Zenith, concauitatem vero Horizonti obuerteret.

Hanc Stellam caudatam ego in hac Insula celebris illius Porthmi Danicæ Hvenna (quam exteri Scarlatinam nuncupant) primum Die XIII Nouembris Anni 77. idque hac occasione animaduerti. Paulo ante Solis occasum, cum instante cæna ad viuarium quoddam nostrum piscium captura animi gratia assisterem, interea dum rete trahitur, occiduum Cæli plagam diligentius intueor, si forte serenitas nocturna consuetam nobis Cælestium corporum Observationem sponderet: En ex improviso percipio Stellam quandam illic emicantem, satisque manifeste apparentem, non aliter quam Hesperus Terris vicinior, Sole decliuo existente, interdum etiam sæpenumero ad Ortum Occasum uerse videndum præbet. Nondum enim crines ullos Stelle (de qua loquor) adherentes animaduertere licuit, eo quod lux diei ob Solem nondum infra Horizontem demersum tenuius illud crinium capiti adhaerentiam in bar offusaret. Attonitus hoc nouo spectaculo Stella peregrinæ euidenter in oculos incurrentis, Sole adhuc ante Occasum lucente quidem compertum habebam nullam eo in loco Cæli esse fixam, quæ tantæ magnitudinis existeret, ut interdum spectari posset: nec enim ullis unquam affixis Sideribus hoc usu venit, & inter Planetas solum Saturnum circa illum Cæli tractum vespertino occasui Heliaco iam appropinquantem, commorari sciebam, qui neque tanti est luminis quantitatisque ut simulcum Sole unquam conspiciatur. Itaque statim percontabar ab astantibus ministris, ecquid & illi in monstrato loco Stellam aliquam perspicue cernerent? qui respondebant se omnino illam videre, & Hesperum esse asserebant, hac videlicet ratione creduli, quod Hesperum aliquando consimili apparitione, Sole ad Occasum inclinato, intuiti fuissent. At ego, qui Veneris Stellam, quam Hesperum, ubi post

Solis